

Typhus,
pro festu,
frequens
apud Au-
gustinum.

tium, aut aliquem ex ejus novem aut decem consortibus, dimitti ei peccata non possint. Quid non audeat typhus morticinæ pelliculæ, quò non se præcipiter præsumptio carnis & sanguinis? Hocine est bonum opus tuum, propter quod non timeas potestatem? Tantum scandalum ponis adversus filium matris tuæ, parvulum scilicet & infirmum, propter quem Christus est mortuus, nondum cibo paterno idoneum, sed adhuc materno lacte nutriendum: & Hilarii libros mihi opponis, uti neges Ecclesiam crescentem in omnibus gentibus usque in finem sæculi, quam Deus contra incredulitatem vestram cum juratione promisit? Et cum essetis infelicissimi, si tunc quando promittebatur resisteretis, nunc etiam cum redditur contradicitis.

CAP. VII.

22. SED historicus doctus magnum aliquid invenisti, quod contra Dei testimonia proferendum putares. Dicis enim: *Quantum ad totius mundi pertinet partes, modica pars est in compensatione totius mundi, in qua fides christiana nominatur: nec vis adtendere, aut te nosse dissimulas, in quam multas jam barbaras nationes tam parvo tempore venerit Evangelium, ut nec inimici Christi dubitare jam possint brevi tempore futurum, quod Discipulis respondit de sæculi fine quaerentibus: Et prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet finis.* In hoc & clama & contende, quantum potes, etiamsi apud persas & indos Evangelium prædicetur, ubi quidem jam diu prædicatur, nisi quisquis hoc audierit, Cartennas venerit, vel in viciniam cartennensium, mundari omnino & delictis suis non poterit. Itane si carueris ista

Matth. 24.
14.

VO-

voce, rideri te metuis: & cum ea non careas, fieri te non vis?

23. Acutum autem aliquid tibi videris dicere, cum Catholicæ nomen non ex totius orbis communionem interpretaris, sed ex observatione præceptorum omnium divinorum, atque omnium sacramentorum: quasi nos, etiamsi fortè hinc sit appellata Catholica, quòd totum veraciter teneat, cujus veritatis nonnullæ particulæ etiam in diversis inveniuntur hæresibus, hujus nominis testimonio nitamur ad demonstrandum Ecclesiam in omnibus gentibus, & non promissis Dei & tam multis tamque manifestis oraculis ipsius veritatis. Sed nempe hoc est totum, quod nobis persuadere conaris, solos remansisse rogatas, qui catholici rectè appellandi sint, ex observatione præceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum; & vos esse solos, in quibus inveniat fidem cum venerit filius hominis. Da veniam, non credimus. Licet enim & hoc audeas forsitan dicere, ut in vobis possit inveniri fides, quam se in terra non inventurum Dominus dixit, non vos in terra, sed in cælo esse deputandos: nos tamen Apostolus ita cautos reddidit, ut etiam Angelum de cælo nobis aliud evangalizantem, præterquam quod accepimus, anathema debere esse præceperit. Quomodo autem confidimus ex divinis litteris accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam? Quaslibet quisque ansas & uncas adversus simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicut anathema erit, qui annuntiaverit Christum neque passum esse, neque tertia die resurre-

Lucæ 18.
8.
Gal. 1. 8.

TOM. V.

I

XI-

Lucæ 24. 46. xisse; quoniam in veritate evangelica accepimus: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die*: sic erit anathema quisquis annuntiaverit Ecclesiam præter communionem omnium gentium; quia eadem veritate consequenter accepimus: *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem*; & inconcussè tenere debemus: *Quisquis vobis annuntiaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit.*

CAPUT
VIII.

24. SI autem universos donatistas non audimus, se pro Ecclesia Christi supponentes, quia nullum pro se testimonium de divinis libris proferunt, quo id doceant; quanto minùs, rogo te, rogatistas audire debemus, qui nec illud pro se interpretari conabuntur, quod scriptum est: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie?* Si enim hoc loco Scripturarum merities Africa intelligenda est in parte Donati, quòd sub cæli ferventiori plaga est, omnes vos maximianistæ superabunt, quorum schisma in Byzantio, & in Tripoli exarsit. Sed confligant cum eis arzuges, & hoc magis ad se pertinere contendant. Mauritania tamen cæsariensis, occidentali quàm meridiana parti vicinior, quando nec Africam se vult dici, quomodo de meridie gloriabitur, non dico adversùs orbem terrarum, sed adversùs ipsam partem Donati, unde pars Rogati, brevissimum frustum de frusto majore præcisum est? Quis autem non impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrenter obscura?

25. Quod autem omnibus donatistis dicere solemus, quanto vobis fortius dicimus: Si possunt

sunt (quod fieri non potest) aliqui habere causam justam, qua communionem suam separant à communione orbis terrarum, eamque appellent Ecclesiam Christi, quòd se justè ab omnium gentium communione separaverint; unde scitis in christiana societate, tam longè latèque diffusa, ne fortè antequàm vos separaretis, jam se aliqui justa caussa separaverant in longinquissimis terris, undè ad vos eorum justitiæ fama non potuerit pervenire? Quomodo in vobis potest esse Ecclesia, potius quàm in illis, qui se priores fortè separaverunt? Ita fit ut cum hoc nescitis, incerti vobismetipsis sitis: quod necesse est contingat omnibus, qui pro sua societate utuntur testimonio non divino, sed suo. Neque enim potestis dicere: Si hoc contigisset, nos latere non posset; cum in Africa ipsa, quot jam partes factæ sint ex parte Donati, si interrogemini, non dicatis: præsertim quia tantò sibi videntur qui hoc faciunt justiores, quanto fuerint pauciores; & utique tantò sunt latentiores. Ac per hoc incerti estis, ne fortè aliqui pauci justi, & ideo minimè noti, alicubi longè contra Africa meridiam, antequam pars Donati justitiam suam à ceterorum hominum iniquitate secerneret, se primitus caussa æquissima separaverint in latere aquilonis, & ipsa sit potius Ecclesia Dei tamquam Sion spiritalis, quæ vos omnes justa separatione prævenit, multoque præsumptius pro se interpretetur, quod scriptum est: *Mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni*, quàm pro se interpretatur pars Donati: *Ubi pascis, ubi cubus in meridie.*

26. Et tamen vereris, ne cum imperiabilibus legibus ad unitatem cogimini, nomen Dei

Ps. 47. 3.

Cant. 1. 6.

Dei à judæis & paganis diutiùs blasphemetur: quasi nesciant judæi, quemadmodum primus populus Israël etiam bello delere voluerit duas illas tribus & dimidiam, quæ ultra Jordanem terras acceperant, quando eas putaverunt se ab unitate sui populi separasse. Pagani verò magis nos blasphemare possunt de legibus, quas contra idolorum cultores christiani imperatores tulerunt: & tamen ex eis multi correcti, & ad Deum vivum verumque conversi sunt, & quotidie convertuntur. Sed planè & judæi, & pagani, si tam paucos putarent esse christianos, quàm pauci vos estis, qui solos vos christianos esse perhibetis, nec blasphemare nos dignarentur, sed numquam ridere cessarent. Non timetis ne vobis dicant judæi: Ubi est quod Paulus vester Ecclesiam vestram intelligit, ubi dictum est: *Latere sterilis, quæ non parit, erumpe & exclama, quæ non parituris; quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum*, præponens multitudinem christianorum multitudini judæorum, si Christi Ecclesia est paucitas vestra? Hoc cine illis dicturi estis: Ideo magis justus sumus, quia pauci sumus: nec attenditis eos responsuros: ^a Quotlibet vos esse dicatis, non tamen estis illi, de quibus dictum est: *Multi filii desertæ*; si tam exigui numero remansistis?

27. Hic tu oppositurus es exemplum justii illius in diluvio, qui cum domo sua solus liberari dignus inventus est. Vides ergo quàm longè sis adhuc à justitia? Prorsus donec ad septem remaneas, quibus tu sis octavus, justum te esse non dicimus: si tamen non istam justitiam, sicut dicebam, præripuit aliquis

^a In prima editione 1679. Quotlibet.

quis ante partem Donati, & cum suis septem justa aliqua causa commotus, se longè alibi separavit, & à mundi hujus diluvio liberavit. Quod cum ignoretis an factum sit, atque ita vobis inauditum, sicut multis populis christianorum in longinquis terris constitutorum nomen Donati inauditum est, incerti estis ubi sit Ecclesia. Ibi enim erit, ubi primum forsitan factum est, quod postea vos fecistis; si potuit esse ulla justa causa, qua vos à communione omnium gentium separare possetis.

28. NOS autem ideo certi sumus, neminem se à communione omnium gentium justè separare potuisse, quia non quisque nostrum in justitia sua, sed in Scripturis divinis quaerit Ecclesiam, & ut promissa est, reddi conspicit. Ipsa est enim de qua dicitur: *Sicut lili- Cant. 2. 2.*
lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum: quæ nec spinæ dici possunt, nisi malignitate morum; nec filia, nisi communione sacramentorum. Ipsa est enim quæ dicit: *A finibus terræ ad te clamavi, cum Ps. 60. 3.*
anxiaretur cor meum. Quæ in alio Psalmo dicit: *Tædium detinuit me à peccatoribus Ps. 118.*
derelinquentibus legem tuam: & vidi insensatos, & tabescebam. Ipsa est, quæ dicit spon- Zain 53.
so suo: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie, Ibi. Res*
ne fortè fiam sicut operta super greges sodali- 158.
um tuorum. Id est quod alibi dicitur: *Dexte- Cant. 1. 6.*
ram tuam notam fac mihi, & eruditos corde Psal. 89.
in sapientia; in quibus luce fulgentibus & caritate ferventibus quasi in meridie requiescis: ne fortè velut operta, id est, occulta & ignota, irruam non in gregem tuum, sed in greges sodalium tuorum, id est, hæreticorum. Quos ita sodales dicit, sicut spinas illas filias propter communionem sacramentorum. De

CAP. IX.

Cant. 2. 2.

Ps. 60. 3.

Ps. 118.

Zain 53.

Ibi. Res

158.

Cant. 1. 6.

Psal. 89.

12.

Ps. 54. 14. quibus alibi dicitur: *Tu verò unanimis meus, & dux meus, & notus meus qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulavi cum consensu: Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*; sicut Dathan & Abiron, impiæ separationis auctores.

Cant. 1. 7.
Matth. 5.
14.

29. Ipsa est cui continuo respondetur: *Nisi cognoveris temetipsam, ð pulchra inter mulieres; exi tu in vestigiis gregum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum*. O responsio dulcissimi sponsi! *Nisi cognoveris temetipsam*, inquit. Quia utique non potest civitas abscondi supra montem constituta: & ideo non est operta, ut incurras in greges sodalium^a meorum. Ego enim sum mons paratus in cacumine montium, ad quem venient universæ gentes. *Nisi ergo cognoveris temetipsam*, non in verbis calumniosorum, sed in testimoniis librorum meorum. *Nisi cognoveris temetipsam*, quia de te dictum est: *Porriges longius funiculos, & palos validos confirma: etiam atque etiam in dexteram atque sinistram extende*. Semen enim tuum hereditabit gentes, & civitates quæ desertæ erant, inhabitabis. Non est quod metuas, prævaleris enim, nec erubescas quod detestabilis fueris. Confusionem enim in perpetuum oblivisceris, ignominia viduitatis tuæ non eris memor. Ego enim sum Dominus, qui facio te, Dominus nomen ei. Et qui eruit te, ipse Deus Israël universæ terræ vocabitur. *Nisi cognoveris temetipsam, ð pulchra inter mulieres*: quia de te dictum est: *Concupivit rex speciem tuam*; quia de te dictum est: *Pro patre*

Cant. 1. 7.
Ps. 44. 12.
Ibidem 17.

^a Editi, *sodalium tuorum*. At MSS. septemdecim habent, *meorum*.

tribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. *Nisi ergo cognoveris temetipsam, exi tu*: non ego te ejicio, sed exi tu, ut dicatur de te: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*. *Exi tu in vestigiis gregum*, non in vestigiis meis, sed in vestigiis gregum, nec unius gregis, sed gregum divisorum & errantium. *Et pasce hædos tuos*, non sicut Petrus, cui dicitur: *Pasce oves meas*; sed *Pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum*; non in tabernaculo pastoris, ubi est unus grex & unus pastor. Cognoscit enim semetipsam, ne hoc ei contingat, quia hoc contigit eis, qui se in illa non cognoverunt.

Joan. 21.
17.

30. Ipsa est, de cujus paucitate dicitur in comparatione plurimorum malorum: *Quia angusta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulant in ea*. Et rursus ipsa est, de cujus multitudine dicitur: *Sic erit semen tuum, sicut stella cæli, & sicut arena maris*. Idem quippe fideles sancti, & boni, & in comparatione plurium malorum pauci sunt, & per se ipsi multi sunt: quia multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum: *Er multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum*: & quia exhibet sibi Deus populum abundantem æmulatorem bonorum operum: & multa millia, quæ numerare nemmo potest, videntur in Apocalypsi, ex omni tribu & lingua, in stolis albis, palmisque victricibus. Ipsa est quæ aliquando obscuratur, & tamquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, ut sagittent in obscura luna rectos corde. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminent. Et si aliqua in his verbis divinis distributio facienda

Matth. 7.
14.

Geni. 22.
17.

Gal. 4. 27.

Mat. 8. 11.

Tit. 2. 14.

Apoc. 7. 9.

Ps. 10. 2.

Gen. 22.
17.

est, fortassè non frustrà dictum sit de semine Abrahæ: *Sicut stella cæli, & sicut arena, quæ est ad oram maris*: ut in stellis cæli pauciores, firmiores, clarioresque intelligantur; in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum atque carnalium: quæ aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet, aliquando autem tribulationum & temptationum fluctibus operitur atque turbatur.

Gal. 3. 1.

31. Tale tunc erat tempus, de quo scripsit a Hilarius, unde putasti insidiandum contra testimonia tot divina, tamquam perierit Ecclesia de orbe terrarum. Potes hoc modo dicere, nec tot ecclesias Galatiæ tunc fuisse, quando dicebat Apostolus: *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Sic enim calumniaris docto viro, qui tardicordes & timidos graviter increpabat, quos iterum parturiebat, donec Christus formaretur in eis. Quis enim nescit illo tempore obscuris verbis multos parvi sensus fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab arianis, quod etiam ipsi credebant: alios autem timore cessisse, & simulatè consensisse, non rectè ingredientibus ad veritatem Evangelii, quibus tu postea correctis, sic quemadmodum ignotum est, nolles ignosci? Prorsus non nosti litteras Dei. Lege enim quid de Petro scripserit Paulus, & quid inde etiam senserit Cyprianus; & non tibi displiceat Ecclesiæ mansuetudo, quæ membra Christi dispersa colligit, non collecta dispergit:

quam-
a Abutebatur Vincentius isto Hilarii testimonio ex lib. de Synodis adversus arianos, ubi dicit: *Nam absque Eleusio & paucis cum eo, ex majori parte asiana decem provinciis, intra quas consisto, vere Deum nesciunt.* Quod quidem facile intelligitur ex verbis Augustini respondentis, *decem provinciarum asianarum zizania redargui ab Hilario.*

quamquam & illi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere poterunt, pauci quidem in comparatione ceterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant; quidam toto orbe latitabant. Ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis dominicis conservata est, & usque in finem, donec omninò gentes omnes, etiam barbaras teneat, conservabitur. Ipsa est enim Ecclesia in bono semine, quod seminavit filius hominis, & usque ad messem crescere inter zizania, prænuñtiavit. Ager autem mundus est, messis finis est sæculi.

Math. 13.
30.

32. Hilarius ergo decem provinciarum asianarum aut zizania non triticum arguebat, aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementius, tanto utilius arguendum putabat. Habent enim etiam Scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, ut tamquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat. Quod enim Apostolus dicit ad corinthios: *Quomodo dicunt quidam in vobis, quia resurrectio mortuorum non est?* Manifestat utique non omnes esse tales, verumtamen & tales non extrà, sed in eis fuisse testatur: à quibus ne illi seducerentur, qui non ita sentiebant, paulò post monuit dicens: *Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Sobrii estote a justis, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reverentiam vobis loquor.* Quod autem dicit: *Cum enim sint inter vos emulatio & contentio, nonne estis carnales, & secundum hominem ambulatis?*

1. Cor. 15.
12.Ibidem 33.
a

1. Cor. 3. 3.

tam-
a Er. & Lov. *justè*, juxta græcum textum, *δικαιως*. At Bad. Am. & sedecim MSS. cum vulgata habent, *justi*.

tamquam omnibus dicit. Et vides quàm sit grave quod dicit. Proinde nisi in ipsa epistola legeremus: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus ditati estis in illo in omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil desit vobis in ulla gratia*; putaremus omnes corinthios carnales & animales, non percipientes quæ sunt spiritus Dei, contentiosos, æmulos, secundum hominem ambulantes. Itaque & totus mundus in maligno positus est, propter zizania, quæ sunt per totum mundum: & Christus propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed & totius mundi, propter triticum quod est per totum mundum.

33. Refrigescit autem caritas multorum propter scandalorum abundantiam, quanto magis magisque glorificato Christi nomine congregantur in communionem sacramentorum ejus etiam maligni, & perseveranter omnino perversi, sed tamen tamquam palea de area dominica nonnisi ultima ventilatione separandi. Non extinguunt isti frumenta dominica, in eorum quidem comparatione pauca, sed multa per seipsa; non extinguunt electos Dei congregandos in fine sæculi, sicut Evangelium loquitur, à quatuor ventis, à summis cælorum usque ad terminos eorum. Ipsorum enim vox est: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus; quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. De quibus & Dominus dicit inter abundantiam iniquitatis: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Denique non unum ho-*

1. Cor. I.
4.

1. Cor. 2.
14.

1. Joan. 5.
19.

Matt. 24.
31.

Psalm. II.
2.

Matt. 24.
13.

hominem, sed plures in eodem Psalmo loqui consequentia docent, ubi dicitur: *Tu, Domine, servabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum*. Propter hanc enim abundantiam iniquitatis, quam Dominus futuram esse prædixit, etiam illud positum est: *Cum venerit filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* Dubitatio enim cuncta scientis nostram in illo dubitationem præfiguravit, quando Ecclesia ex multis, de quibus multum speravit, sæpe decepta, quòd aliter quàm credebantur inventi sunt, sic perturbatur in suis, ut de nullo facile boni aliquid velit credere. Ipsos tamen quorum inventurus est fidem in terra, per totum agrum cum zizaniis crescere, dubitare fas non est.

34. Ipsa est ergo Ecclesia, quæ intra sagenam dominicam cum malis piscibus natat, à quibus corde semper & moribus separatur atque discedit, ut exhibeatur viro suo gloriosa, non habens maculam neque rugam. Corporalem autem separationem in littore maris, hoc est, in fine sæculi exspectat, corrigens quos potest, tolerans quos corrigere non potest: non tamen propter eorum quos non corrigit iniquitatem, ipsa bonorum deserit unitatem.

35. NOLI ergo, frater, contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia, colligere velle calumnias ex episcoporum scriptis, sive nostrorum, sicut Hilarii; sive antequam pars Donati separaretur, ipsius unitatis, sicut Cypriani & Agripini; primò, quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonicis distinguendum est. Non enim sic leguntur,

a MSS. melioris notæ habent, à canonicis auctoritate.

Psalm. II.
8.

Luce 18.
8.

CAPUT X.
Dist. 9.
Noli, frater.

tur, tamquam ita ex eis testimonium profertur, ut contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerunt quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere: *Et si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit. Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus; in illa via scilicet, quæ est Christus. De qua via ita Ps. 66. 2. Psalmus loquitur: Deus misereatur nostri, & benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos: ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.*

36. Deinde si sancti Cypriani episcopi & gloriosi martyris te delectat auctoritas, quam quidem, sicut dixi, à canonica auctoritate distinguimus; cur in eo te non delectat, quòd unitatem orbis terræ atque omnium gentium, & diligendo tenuit, & disputando defendit; quòd eos qui se tamquam justos ab ea separare voluissent, arrogantissimos & superbissimos judicavit, irridens eos hoc sibi assumere, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut ante tempus zizania colligerent, aut tamquam ipsis palam ferre, & aream purgare concessum sit, paleas conarentur à tritico separare: quòd unumquemque peccatis alienis maculari non posse monstravit, quam sibi omnes impiæ seditionis auctores solam causam separationis assumunt: quòd in eo ipso, in quo aliter sapuit, collegas diversa sentientes, nec judicandos, nec à jure communionis amovendos esse decrevit: quòd in ea ipsa epistola ad Jubaianum, quæ in * concilio (cujus auctoritatem ad rebaptizandum sequi vos dicitis) primitus recitata est, cum fateatur in præteritum sic esse admissos in Ec-

* Carthagine habitato an. 256.

clesiam, qui fuerant alibi baptizati, ut de nò non baptizarentur, unde illos sine baptismo fuisse arbitratur; tantum tamen ponit utilitatis & salubritatis in pace Ecclesiæ, ut propter illam non eos credat ab Ecclesiæ muneribus separari?

37. Qua in re, sicut ingenium tuum novi, facillimè perspicis totam causam vestram penitus eversam & extinctam. Si enim sacramenta cum peccatoribus communicando, sicut putatis, periit Ecclesia, quæ fuerat in orbe terrarum (nam vos ideo separastis) jam priùs tota perierat, cum, sicut dicit Cyprianus, in eam sine baptismo admittebantur: ac sic nec ipse Cyprianus habebat in qua Ecclesia nasceretur; quanto magis multò posterior vester auctor paterque Donatus? Si autem illo tempore, cum in eam sine baptismo admittebantur, erat tamen Ecclesia, quæ pareret Cyprianum, pareret & Donatum, manifestum est non contaminari justos alienis peccatis, quando cum eis sacramenta communicant. Ac per hoc separationem, qua existis ab unitate, qua excusatione possitis abluere non habetis, impleturque in vobis sanctæ Scripturæ illud oraculum: *a Filius malus ipse se justum dicit, exitum autem suum non abluit.*

38. Meritis autem Cypriani sic non æquatur, qui propter paria sacramenta nec ipsos hæreticos audeat rebaptizare, sicut non æquatur

a Absunt hæc à vulgata. Sed habentur apud LXX. inserta inter vers. 22. & 23. ubi græcus textus ita fert: *Ε' κ' υ' ο' ν' κ' α' κ' α' δ' ι' κ' α' ι' ο' ς' ε' α' υ' τ' ο' ς' κ' ε' ρ' ι' τ' ε' ς' , τ' η' ς' δ' ε' ξ' ε' δ' ο' ς' ε' α' υ' τ' ο' ς' ε' ς' α' π' ε' ρ' ι' λ' η' ς' ,* quem locum Hieronymus in lib. 1. *Adversus Pelag.* c. 12. citat. his verbis: *Filius malus justum se facit, & non lavat exitum suum.*

a
Prov. 24.
secundum
LXX.

tur meritis Petri, quisquis non cogit gentes judaizare. Sed illa Petri non tantum claudicatio, verum etiam correctio Scripturis canonicis continetur: Cyprianus autem sensisse aliter de baptismo, quam forma & consuetudo habebat Ecclesie, non in canonicis, sed in suis & in concilii litteris invenitur: correxisse autem istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quamquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendunt, sed sub ejus nomine à præsumtoribus atque mendacibus fuisse confictum. Neque enim sic potuit integritas atque notitia litterarum unius quamlibet illustris episcopi custodiri; quemadmodum Scriptura canonica, tot linguarum litteris, & ordine, & successione celebrationis ecclesiasticæ custoditur, contra quam tamen non defuerunt, qui sub nominibus Apostolorum multa confingerent. Frustra quidem, quia illa sic commendata, sic celebrata, sic nota est: verum quid possit adversus litteras, non canonica auctoritate fundatas, etiam hinc demonstravit impiæ conatus audaciæ, quod & adversus eas, quæ tanta notitiæ mole firmatæ sunt, sese erigere non prætermisit.

39. Nos tamen duas ob res, non negamus illud sensisse Cyprianum; quod & stilus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci; & quod ibi magis contra vos nostra causa demonstratur invictior, vestræque separationis præsumptio, videlicet, ne macularemini peccatis alienis, tota facilitate subvertitur, cum apparet in litteris Cypriani,

com-

communicata esse cum peccatoribus sacramenta, cum admissi sunt in Ecclesiam, qui secundum vestram, & sicut vultis, illius sententiam, baptismum non habebant; & tamen Ecclesiam non perisse, sed in sui generis dignitate per totum orbem sparsa dominica frumenta mansisse. Ac per hoc si perturbati tamquam ad aliquem portum sic ad auctoritatem Cypriani confugitis, videtis, quem illic scopulum vester error offendat: si autem jam nec illuc confugere audetis, sine ullo luctamine naufragatis.

40. Porro autem Cyprianus, aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula veritatis; aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum unitatem Ecclesie toto orbe crescentis, & copiosissime defendit, & perseverantissime tenuit vinculum pacis. Scriptum est enim: *Caritas cooperit multitudinem peccatorum*. Accessit huc etiam, quod tamquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis. *Sarmentum enim*, ait Dominus, *quod in me dat fructum, purgat illud Pater meus, ut majorem fructum afferat*. Unde, nisi quia hærens in diffusionem vitis, radicem non deseruit unitatis? Nam etsi traderet corpus suum ut arderet, caritatem autem non haberet, nihil ei prodesset.

41. Adtende adhuc paululum in litteras Cypriani, ut advertas quam inexcusabilem ostenderit, qui se voluerit ab unitate Ecclesie (quam Deus in omnibus gentibus promisit & reddidit) quasi justitiæ suæ causâ separare: magisque intelligas quam sit vera sententia pau-

1. Pet. 4. 9.
4. Sent.
dist. 6.
Sunt ta-
men.

Johan. 15.
2.

1. Cor. 13.
3.

Prov. 24. Iò antè à me commemorata: *Filius malus ipse se justum dicit, exitum autem suum*

Epist. 52. non abluit. Ponit in quadam epistola sua, quam scripsit ad Antonianum, rem quamdam satis rei de qua nunc agimus necessariam, sed melius ejus verba inserimus. "Antecessores, inquit, nostri quidam de episcopis isthic in provincia nostra, dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum poenitentia locum cum contra adulteria clauserunt: non tamen à coëpiscoporum suorum collegio recesserunt; aut catholicae Ecclesiae unitatem vel duritie vel censurae suae obstinatione rupe- runt; ut quia apud alios adulteris pax datur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur. Manente concordiae vinculo, & perseverante catholicae Ecclesiae individuo sacramento, actum suum disponit & dirigit unusquisque episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus." Quid ad hæc dicit, frater Vincenti? Nempe intueris hunc tantum virum, pacificum episcopum, & fortissimum martyrem nihil vehementius satagisse, quàm ne unitatis vinculum rumperetur. Vides eum parturientem, non solum ut parvuli in Christo concepti nascantur, verum etiam ne jam nati, de sinu matris excussi, moriantur.

42. Porro autem ipsam rem, quam contra impios separatores commemoravit, adtende. Si adulteris communicabant, qui poenitentibus adulteris pacem dabant, numquid illi qui hoc non faciebant, collegio maculabantur istorum? Si autem quod veritas habet, & quod Ecclesia merito tenet, rectè poenitentibus adulteris pax dabatur, illi qui in totum locum poenitentiae contra adulteros clau-

de-

debant, impiè utique agebant, qui membris Christi sanitatem negabant, & claves Ecclesiae pulsantibus subtrahebant, & misericordissimae patientiae Dei, quae illos propterea sinebat vivere, ut poenitendo sanarentur sacrificio contriti spiritus & contribulati cordis oblato, dura crudelitate contradicebant. Nec tamen istos misericordes & pacificos, cum eis christiana sacramenta communicantes, & eos intra unitatis retia tolerantes, donec ad litus perducti separarentur, tam immanis eorum error & impietas inquinabat; aut si inquinabat, jam tunc Ecclesia malorum communionem deleta est, nec erat quæ pareret ipsum Cyprianum. Si autem, quod certum est, permansit Ecclesia, certum est etiam peccatis alienis, in unitate Christi, neminem posse maculari, non malorum factis consentientem, ne ipsis peccatis communicando polluat, sed propter societatem bonorum, malos tamquam paleas usque ad ultimam ventilationem in area dominica tolerantem. Quæ cum ita sint; ubi est praesumptio separationis vestrae? Nonnè filii mali estis, ipsi vos justos dicitis, exitum autem vestrum non abluitis?

43. Jam si velim & illa commemorare, quæ Tychonius, homo communionis vestrae, scriptis suis inserit, qui magis contra vos pro Ecclesia catholica scripsit, frustra se ab afro- rum, quasi traditorum communionem secernens, quo uno eum Parmenianus suffocat; quid respondere poteritis, nisi quod de vobis idem Tychonius dixit, & ego paulò antè recolui: *Quod volumus sanctum est?* Scribit enim ille Tychonius, homo, ut dixi, vestrae communionis, à ducentis & septuaginta episcopis

Tom. V.

K

ves-

^a vestris ^a concilium Carthagini celebratum: in quo concilio per septuaginta & quinque dies postpositis omnibus præteritis, limatam esse sententiam, atque decretam, ut traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium etiam ^b macrianensem episcopum communionis vestræ, dicit traditorum plebem congregatam Ecclesiæ miscuisse, & secundum statuta illius concilii à ducentis & septuaginta episcopis vestris facti, fecisse cum traditoribus unitatem, eique Deuterio post hoc factum jugiter communicasse Donatum; nec solum huic Deuterio, sed etiam universis maurorum episcopis per quadraginta annos, quos dicit usque ad persecutionem per Macarium factam, traditoribus sine baptismo communicasse.

44. Sed dicitis: Quis mihi est iste Tycho-
nius? Ille est Tychonius, quem Parmenianus
rescribendo compepsit, & eum deterret ne
ta-

^a Nullum alibi reperire est vestigium concilii hujus: quod quidem non ante annum 330. celebratum fuisse videtur: siquidem tempore Tychonii, qui post annum 380. floruisse intelligitur ex Gennadio, adhuc vivebant multi, ut hic ait Augustinus, per quos certissima & apertissima esse ostenderentur, quæ ille obtendebat. Certè donatistarum schisma, quod anno 305. excitatum, non nisi anno 311. perfectè coaluit, erat jam roboratum & maximè confirmatum, cum tantus episcoporum numerus in urbem africæ primariam convenit, uti rectè observat Henricus Valesius, qui subinde synodum istam ad Donati carthaginensis tempora pertinere contendit, non autem ad annum 308. ut Balduini & Baronii ferebat opinio, concepta ex hoc ipso Augustini loco non probè intellectu; ubi Valesius vellet sic legi: sed etiam universis maurorum episcopis, quos dicit per annos quatuoraginta, usque ad persecutionem per Macarium, &c. Lectio tamen vulgata quamquam minus aperta, reperitur in omnibus MSS.

^b Lov. macrinensem. At Bad. Am. Er. & MSS. macrianensem.

talia scribat; non tamen refellit ea ipsa quæ scribit: sed uno, sicut supra dixi, eum premit, quòd cum talia diceret de Ecclesia toto orbe diffusa, & quòd neminem in ejus unitate macularent aliena peccata; ab afororum se tamen quasi traditorum contagione removebat, & erat in parte Donati. Posset autem dicere Parmenianus, ista eum omnia esse mentitum: sed sicut idem Tychonius commemorat, adhuc vivebant multi, per quos hæc certissima & apertissima esse ostenderentur.

45. Sed de his taceo; contende Tychonium esse mentitum: ad Cyprianum te revoco, cujus mentionem ipse fecisti. Prorsus secundum scripta Cypriani, si peccatis alienis in unitate quisque maculatur, jam ante Cyprianum periit Ecclesia, nec erat unde existeret ipse Cyprianus. Si autem hoc sentire sacrilegum est, & certum est Ecclesiam permanere; nemo alienis peccatis in ejus unitate maculatur; frustra filii mali justos vos dicitis; exitum vestrum non abluitis, non purgatis.

46. CUR ergo, inquis, nos quæritis? Cur sic suscipitis quos hæreticos dicitis? Vide quam faciliè breviterque respondeam. Quærimus vos, quia peristis, ut de inventis gaudemus, de quibus perditis dolebamus. Hæreticos autem vos esse dicimus; sed antequam ad pacem catholicam convertamini, antequam errore, quo irretiti estis, exstamini. Cum autem transitis ad nos, prius utique relinquitis quod eratis, ne ad nos hæretici trans-eatis. Baptiza ergo me, inquis. Facerem; si baptizatus non esses, aut si Donati vel Rogati, non Christi baptismo baptizatus esses.

CAPUT XL.